

lonesi veneno con arme in Roma, et Orsini, unde li presidenti di cardinali li chiamono monendoli a deponer le arme. *Item*, haino fato, oltra il governador di Roma, *etiam* il signor Constantin Arniti capo di 700 fanti in Roma. Scrive altre particolarità, come di soto dirò *diffuse*. Scrive dil zonzer in quella sera lì a Roma il reverendissimo Corner. *Item*, l'orator Cesareo, don Zuan Hemanuel, havia oferto a li cardinali, facendo Papa il cardinal Medici, 60 milia ducati di beneficio in Spagna.

159 *Exemplum litterarum reverendissimorum do-minorum Cardinalium ad Serenissimum Ducem Venetiarum, notificatarum mortem Leonis X pontificis maximi.*

Miseratione divina Episcopi, Præsibteri, Diaconi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, excellentissimo domino Serenissimo Principi, amico nostro carissimo, domino Antonio Grimani Venetiarum Duci inclyto, sinceran in Domino charitatem. Dolentes scribimus Excellentiae Vestrae quod ei jam notum esse credimus, felicis recordationis Leonem papam et universalis ecclesiæ pastorem, nocte superiori spiritum Deo reddidisse. De cuius sane morte omne cristianum nomen ac Vestram præcipue Excellentiam cum suo piissimo Senatu et Dominio tamquam christianitatis nobilissima membra valde doluisse et dolituros esse non ambigimus. Sed Dei voluntas, quamquam justissimo dolore et ludo nos consolari debet, qui ut potuit ita voluit et in cuius manu sunt mors et vita. Nunc autem etsi parum necesse id arbitremur quum istius illustrissimi Senatus et Domini pietatem ac tuendae fidei christiane Sedisque Apostolicæ protegenda perpetuum studium recordamur, tum pro nostro officio Vestram Excellentiam suumque sapientissimum Senatum in Domino hortamur et rogamus, ut res ac jura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicuti debet et sui prædecessores semper fecerunt, protegere velitis et tueri, neque ullis contra Ecclesiam Romanam statumque ejus res novas moliri cupientibus, aut forte vestram opem in id petentibus adesse, sed potius obstatre atque arcere auresque inpiis et nephariis postulatis ocludere; dignos denique vos praestare nomine isto inclytae pietatis quam Deum et Ecclesiam a turcis hostibus terra marique perpetuo defendistis; quod vos pro vestro veteri more atque in Sedem Apostolicam amore et observantia tunc etiam facturos confidimus et ut faciatis oramus. Valeat feliciter

Excellentia Vestra, cui nos offerimus et Romanam Ecclesiam commendamus.

Romæ, die 2 Decembris M.D.XXI, sub sigillis nostrorum trium ordinum priorum. (Et est in bacina).

BLOSNIUS.

*A tergo*: Excellentissimo domino ac Serenissimo Principi domino Antonio Grimano Venetiarum Duci inclyto, amico nostro charissimo.

Episcopi, Præsibteri et Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

159\*  
*Exemplum. Alia littera reverendissimorum do-minorum Cardinalium ad Dominium Vene-tum, recepta die 12 Decembris 1521. Si-gnificat etiam mortem Pontificis et petit favores pro electione Summi Pontificis.*

Excellentissime Domine, amice noster carissime, miseratione divina Episcopi, Presbiteri, Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, excellentiae tuae felicitatem et sinceram in Domino charitatem. Superiori nocte, sicut Domino placuit, ex fragilitate conditionis humanae, felicis recordationis Leo papa X non sine animorum nostrorum perturbatione et dolore vitam cum morte commutavit; quod licet credamus Excellentia tua innotescere, quia tamen tam illa quam prædecessores tui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ejusque Sanctam Sedem tueri defendere et honestare, ac ampliorem reddere consuererunt, voluimus et nos Celsitudinem tuam hisce nostris de obitu prædicto facere certiore, eamque rogare et obsecrare, ut pro solita pietate sua et in Sanctam Romanam Ecclesiam charitate, totius reipublicæ christiana et ecclesiastici Status paci, unioni et tranquillitat prospicere et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ libertati ac dignitati consulere opportunisque favoribus adesse dignetur. Quod si (ut certo speramus) Excellentia tua efficiet rem se dignam et progenitorum suorum veteris instituti observantia, Deo acceptum ac nobis et futuro Pontifici quam gratissimum, pro qua a Sede ipsa Apostolica, imo a Domino nostro Jesu Christo qui eam gubernat et regit Excellentiae tuae in utroque seculo præmia retribuentur. Valeat felicissime ac diutissime eadem Excellentia tua, cui nos offerimus.

Romæ, 2 Decembris 1521, sub sigillis nostrorum trium in ordine.

BLOSNIUS.